

tametsi aliunde Authoritate etiam Regia introduci et stabiliri possent; ad de- missam nihilominus Statuum Recommendationem, benigno Suae Majestatis Con- sensu accedente, determinatum est;

§. 1. Ut Religiosi Ordines, Fratrum Camaldulensium; et Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum; nec non Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI de Scholis piis; in Regnum istud Ungariae et Partes Eadem annexas, Voto tamen et Sessione absque omni; pro receptis ac stabilitis habeantur:

§. 2. Bonaque Fundationalia, pure Secularia et liberae Fundatorum di- spositioni subjecta, Jure et Titulo duntaxat Pignoris possidere valeant.

§. 3. Amodo autem imposterum; Collegia et Claustra quorumvis Reli- giosorum, sine necessitate Reipublicae et benigno Regiae Majestatis assensu, non augebuntur.

Terrena, per Generalatum Varasdiensem possessa, restituentur; et plures aliae Controversiae, medio Commissionis instituendae; accommodabuntur.

Articulus 113.

Et propria Authoritate et unaniimi Statuum atque Ordinum Consensu, Sacra Ma- jestas Caesarea et Regia, mota; et Divi olim Genitoris Sui Augustae remiscen- tiae LEOPOLDI PRIMI Resolutione, in primordio Diaetae praesentis Originaliter producta et perfecta; plurium quoque Annorum et Diaetarum Articulis; utpote Anni 1604. Art. 14. An. 1608., Art. 9. An. 1613., Art. 39. An. 1618., Art. 32. An. 1622. Conditione Diplomatica septima: Anni 1635. Articulis 33. et 40., Anni 1638. Art. 51., Anni 1659. Art. 89. et 90., nec non Anni 1681. Art. 64. et ejusdem Anni Diplomatica Conditione septima; Accidente etiam Octavalium Judiciorum Sententia, atque ex Mandato Regio instituta Revisione; in benignam sumptis considerationem; statuit et resolvit;

§. 1. Ut proxime instituenda Commissio (cum interventu etiam Comitis Bani, si adesse poterit; et Episcopi Zagrabiensis, aliorumque tam de Magnatum, quam Nobilium, eorundem Croatiae et Sclavoniae Regnorum Statibus, quos ad Functionem hanc denominaverint) in facie Loci, processura, modum et occasio- nem transferendi Generalatus Varasdiensis exquirat; ac Suae Majestati, pro be- nigna Determinatione, referat;

§. 2. Eodemque contextu, de Restitutione et Reincorporatione Terre- norum (inclusis et intellectis, iis etiam Montis Claudii Pertinentiis, quas etiam- num mentionatus Generalatus Varasdiensis, ac alter Eszekiensis et Excelsa Ca- mera Aulica usuat; sic et Capituli Chasmensis, ac aliis etiam tam Ecclesiasti- corum, quam Secularium Bonis per eundem Generalatum Varasdiensem possessis) ac eductione etiam Militis, ex Arce Varasdiensi; agat et concludat. *)

§. 3. Quae Commissio, Liberarum quoque et Regiarum Varasdiensis, Crisiensis et Caproncensis Civitatum, querulose exposita Gravamina; multifa-

*) Renovatur et urgetur; An. 1723. a. 88. et An. 1741. a. 49. Et quoad appertinentias Montis Clau- dii; specialiter An. 1741. a. 51.